

Aspi Domi-  
ni nostri Je-  
su Christi.







Passio Domini nostri IESU Christi ex  
quattuor Euang. in vnum re-  
dacta & ordinata.





Proprinquabat dies festus azimorum,  
qui dicitur Pascha. Erat autem post bi  
dium. Et dixit I E S V S discipulis  
suis. Scitis quod post biduum Pascha  
fiet: & filius hominis tradetur vt cruci  
figatur. Tunc congregati sunt Principes sacerdo  
tum & seniores in atrium Principis sacerdotum qui  
dicitur Caiphas: & consilium fecerunt, & querebant  
summi Sacerdotes & scribæ quomodo eum do  
lo tenerent & occiderent: timebant vero plebem  
ideo dicebant: non in die festo ne tumultus fieret  
in populo. Intrauit autem Sathanas in Iudam, qui  
cognominatur Scarioth, vnum de duodecim: qui  
abiit ad Principes sacerdotum (summos inquam sa  
cerdotes) vt proderet eum illis: & locutus est cum  
eis, & magistratibus, quemadmodum eum traderet  
illis: & ait illis. Quid vultis mihi dare, & ego vobis  
eum tradam: qui audientes gauisi sunt: & promise  
runt pactiq; sunt pecuniam illi dare: & constituerunt  
ei triginta argenteos: & spondit: & exinde qua  
rebat oportunitatem, vt eum oportune traderet sine  
turbis. Prima autem die azimorum, quādo Pascha  
imolabatur: in qua necesse erat occidi Pascha: ac  
cesserunt discipuli ad I E S V M & dicunt ei.  
Quo vis eamus, & paremus tibi vt manduces Pa  
scha? & mittit duos ex discipulis suis, Petrum & Ioā  
nem, dicens. Euntes parate nobis Pascha, vt man  
ducemus. At illi dixerunt. Vbi vis paremus? Et di  
xit ad eos. Ite in ciuitatem ad quendam, ecce intro  
euntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo  
Amphoram aquæ portans sequimini eum in domū  
in quam intrat: & dicetis patrifamilias domus. dicit  
tibi Magister: tempus meum prope est: apud te facio  
Pascha cum discipulis meis: vbi est refectio mea: vbi



13928

est diuersorū, vbi Pascha cum discipulis meis man-  
ducem? & ipse ostendet vobis cenaculum magnum  
stratum & ibi parate nobis. Et abierunt discipuli  
eius: & venerunt in ciuitatem. Euntē autem inuene-  
runt sicut dixit illis I E S V S & fecerunt sicut con-  
stituit illis I E S V S: & parauerunt Pascha. Vespere  
autem facto, venit cum duodecim & cum facta  
esset hora, discubuit, & duodecim apostoli cum eo.  
Et discumbentibus & edentibus illis, dixit. Amen  
dico vobis: quod vnus vestrum me traditurus est,  
qui manducat mecum. Et contristati valde, coepe-  
runt singuli dicere: nunquid ego sum Domine? at  
ipse respondens ait. Vnus ē duodecim, qui intinxit  
mecum panem in paropside, qui intingit mecum in  
catino, hic me tradet. Filius quidem hominis va-  
dit, sicut scriptum est de illo: vā autem homini illi,  
per quem filius hominis tradetur bonum erat ei si  
natus non fuisset homo ille. Respondens autem  
Iudas, qui tradidit eum, dixit. Nunquid ego sum  
Rabbi? Ait illi. Tu dixisti. Et ait illis. Desiderio de-  
sideraui hoc pascha manducare vobiscum antequā  
patiar. Dico enim vobis quod ex hoc non mandu-  
cabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et acce-  
pto calice, gratias egit, & dixit. Accipite, & diuidite  
inter vos. Dico enim vobis: quod non bibam de  
generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Coe-  
nantibus autem illis, accepit I E S V S panem gra-  
tias egit, & benedixit, & fregit, deditq; discipulis  
suis, & ait. Accipite, & comedite. hoc est corpus  
mum, quod pro vobis traditur. \* Et frangitur. \* *prima co-  
rinth. ij.*  
hoc facite in meam commemorationem. Similiter  
& calicem, postquam coenauit, accipiens, gratias  
egit, & dedit illis, dicens. Bibite ex hoc omnes. hic  
est enim sanguis meus noui testamenti: qui pro mul-

**LUC.**

tis effundetur in remissionem peccatorum. Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo qui pro vobis effundetur. Amen dico vobis quod iam non bibam de hoc genimine vitis, vsq; in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in regno

**MAR.**

Dei patris mei. Et biberunt ex eo omnes. & ait illis. Hoc facite, quotiescunq; bibetis, in meam commemorationem. Verumtamen ecce manus traden-

**LUC.**

tis me, mecum est in mensa, & quidem filius hominis sicut quod definitum est, vadit: verumtamen vae homini illi, per quem traditur. Et ipsi coeperunt querere inter se: quis esset ex eis, qui hoc facturus esset. Facta est autem & contentio inter eos: quis eorum videretur esse maior?

**IOHN.**

Sciens autem IESVS, quia venit hora eius ut transeat ex hoc mundo ad patrem: cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. (atq; ita modis omnibus volens eos auertere à contentione ambitiosa) coena facta cum diabolus iam misisset in cor ut traderet eum Iudas Simonis Scariothis: sciens quod dedit ei omnia Pater in manus: & quod à Deo exiuit, & ad Deum vadit: surgit à coena, & ponit vestimenta suas: & cum accepisset linteam, precinxit se deinde misit aquam in peluim: & coepit lauare pedes discipulorum suorum, & extergere linteo quo erat praecinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum: & dicit ei Petrus. Domine, tu mihi lauas pedes. Respondit IESVS, & dixit ei. quod ego facio, tu nescis modum: scies autem postea. Dicit ei Petrus. Non lauabis mihi pedes in aeternum. Respondit ei IESVS. Si non lauero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus. Non tantum pedes, sed & manus & caput. Dicit ei IESVS. Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lauet: sed est mundus totus: & vos mun-

di estis, sed non omnes. Sciebat namq; quis nam es-  
set, qui traderet eum: propterea dixit. non estis mun-  
di omnes. Postquam ergo lauit pedes eorum ac-  
cepit vestimenta sua & cum recubisset iterum, dixit  
eis. Scitis quid fecerim vobis? vos vocatis me magi-  
ster & Domine & bene dicitis: sum etenim. Si ergo  
ego laui pedes vestros Dominus & magister: & vos  
debetis alter alterius lauare pedes: exemplum enim  
dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita  
& vos faciatis. Amen amen dico vobis: non est ser-  
uus maior domino suo: neq; Apostolus maior eo  
qui misit illum. Si hoc scitis beati eritis, si feceritis  
ea. & addens, dixit eis. Reges gentium dominan-  
tur eorum: & qui potestatem habent super eos, be-  
nefici vocatur. vos autem non sic: sed qui maior est  
in vobis, fiat sicut minor: & qui praeceptor est, sicut  
ministrator. Nam quis maior est qui recumbit, an  
qui ministrat? non ne qui recumbit? ego autem in  
medio vestrum sum, sicut qui ministrat. vos autem  
estis qui permansistis mecum in tentationibus meis:  
& ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater  
meus Regnum: vt edatis & bibatis super mensam  
meam in Regno meo: & sedeat is super thronos, iu-  
dicantes duodecim tribus Israelis. Non de omni-  
bus vobis dico. Ego scio quos elegerim sed vt  
adimpleatur scriptura: qui manducat mecum pa-  
nem, leuabit contra me calcaneum suum: amodo  
dico vobis priusquam fiat: vt cum factum fuerit, cre-  
datis quod ego sum. Amen amen dico vobis, qui  
accipit si quem misero, me accipit: qui autem me ac-  
cipit, accipit eum qui me misit. Cum haec dixisset  
IESVS, turbatus est spiritu: & protestatus est, &  
dixit. Amen amen dico vobis quia vnus ex vobis  
tradet me. Aspiciebant ergo adinuicem discipuli, he-

Et addis-  
dit, Ioan.

stantes de quib' diceret. Erat ergo recumbens vnus  
de discipulis eius, in sinu I E S V, quem diligebat  
I E S V S. innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit  
ei, quis est de quo dicit? Itaq; cum recubuiſſet il-  
le super pectus I E S V, dixit ei. Domine quis est?  
Respondit I E S V S. Ille est, cui ego intinctum  
panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit  
Iudæ Simonis Scariothis. & post buccellam introi-  
uit in eum Sathanas: & dicit ei I E S V S. Quod fa-  
cis, fac citius. Hoc autem nemo sciuit, discumben-  
tium, ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant,  
quia oculos habebat Iudas, quod dixisset ei I E-  
S V S. eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festū:  
aut egenis vt aliquid daret. Cum ergo accepisset il-  
le buccellam, exiuit continuo. Erat autem nox cum  
ergo exisset, dixit I E S V S. Nunc clarificatus est  
filius hominis & Deus clarificatus est in eo. Si Deus  
clarificatus est in eo: & Deus clarificabit eum in se-  
metipso: & continuo clarificabit eum. Filioli, adhuc  
modicum vobiscum sum, quæretis me, & sicut dixi  
Iudæis, quo ego vado, vos non potestis venire: &  
vobis dico modo mandatum nouum do vobis vt  
diligatis inuicem, sicut dilexi vos, vt & vos diliga-  
tis inuicem. in hoc cognoscent omnes quod mei  
estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem.  
Dicit ei Simon Petrus. Domine quo vadis? Respon-  
dit I E S V S. Quo ego vado, non potes me se-  
qui modo: sequeris autē postea. Dicit ei Petrus. Qua-  
re non possum te sequi modo? animam meam pro  
te ponam. Respondit I E S V S. Animam tuam  
pro me pones? Amen amen dico tibi: non cantabit  
gallus donec ter me neges. Et ait eidem Simoni.  
Simon ecce Sathan expetiuit vos, vt cribraret sicut  
tritricum. Ego autem rogaui pro te, vt nō deficiat fides

tes tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres  
tuos. Qui dixit. Domine, tecum paratus sum & in  
carcerem & in mortem ire. Et ille dixit. Dico tibi Pe  
tre non cantabit hodie gallus, donec ter abneges  
nosse me. Et dixit eis. Quando misi vos sine sacculo  
& pera & calceamentis: nunquid aliquid defuit vo  
bis? At illi dixerunt. Nihil. Dixit ergo eis. Sed nunc  
qui habet sacculum, tollat similiter & peram, & qui  
non habet, vendat tunicam & emat gladium. Dico  
enim vobis: quod adhuc hoc quod scriptum est,  
oportet impleri in me. Et cum iniustis deputatus est.  
Etenim ea quæ de me sunt, finem habent. At illi di  
xerunt. Ecce duo gladii hic. At ille dixit. Satis est.  
Et ait discipulis suis. Non turbetur cor vestrum. *cre. Ioan.*  
ditis in Deū: & in me credite. ( & alia plura dixit q̄  
habetur Ioā. 14. in cuius fine dicit ) surgite, eamus  
hinc. Et hymno dicto, egressus ibat s̄m consue  
tudinem in montem oliuarum. Secuti sunt autem il  
lis & discipuli: & exierunt in montem oliueti. Tunc  
dicit illis I E S V S. Omnes vos scandalum patie  
mini in me in ista nocte. Scriptum est enim percu  
tiam pastorem, & dispergetur oues gregis. Sed post  
quam resurrexero, præcedam vos in Galileam. Re  
spondens autem Petrus, ait illi. Et si omnes scanda  
lizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Et  
ait illi I E S V S. Amen dico tibi: quod tu hodie  
in hac nocte priusquam gallus cantet, ter me nega  
bis priusquam (inquā) gallus bis vocem dederit, ter  
me es negaturus. At ille amplius loquebatur. Et si  
oportuerit me mori tecum, non te negabo. Simili  
ter & omnes discipuli dixerunt: ( & Dominus mul  
ta præterea dixit post prius, quæ habentur. ) *Ioan. 15.*  
Hæc cum dixisset I E S V S, egressus cum discipu  
lis suis trans torrentem cedron, venit cum illis in *16, 17.*

villam quæ dicitur Gethsemani : vbi erat hõrtus in  
quem introiuit ipse & discipuli eius & cum perue-  
nisset ad locum, dixit eis. Sedete hic, donec vadam  
illuc, & orem. Et coassumpto Petro, & duobus filiis  
Zebedei, coepit contristati & mœstus esse pauere, &  
tædere. Tunc ait illis. Tristis est anima mea vsq; ad  
mortem. sustinete hic, & vigilate mecum. Et progres-  
sus pusillũ, ipse auulsus est ab eis, quantũ est iactus  
lapidis: & procidit in faciem suam super terram: &  
orabat, vt, si fieri posset, transiret ab eo hora: & di-  
xit. Abba Pater, omnia possibilia sunt tibi transfer  
hunc calicem à me sed non quod ego volo sed  
quod tu: mi Pater, si possibile est, transeat à me calix  
iste: veruntamen non sicut ego volo sed sicut tu.  
Et venit ad discipulos suos: & inuenit eos dormiē-  
tes: & dixit Petro. Sic Simon, dormis? non potuisti  
vna hora vigilare mecum? vigilate, & orate, vt non  
intretis in tentationem: spiritus quidem promptus  
est, caro autem infirma. Iterum secundo abiit, & ora-  
uit eundem sermonem, dicens. Pater mi, si non po-  
test hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas  
tua. Et venit iterum, & inuenit eos dormiētes: erant  
enim oculi eorum grauati & ignorabant quid res-  
ponderunt ei & relictis illis, iterum abiit & orauit  
eundem sermonē, & positis genibus orabat dicens.  
Pater, si vis, transfer calicem istum à me: veruntamē  
non mea, sed tua voluntas fiat. Apparuit autem illi  
angelus de coelo, confortans eum. & factus in ago-  
nia, prolixius orabat, & factus est sudor eius sicut  
guttæ sanguinis decurrentis in terram. & cum sur-  
rexisset ab oratione, & venisset ad discipulos suos,  
inuenit eos dormientes præ tristitia: & ait illis.  
Quid dormitis? dormite iam, & requiescite. sufficit:  
surgite, & orate ne intretis in tentationem: ecce ap-  
propinquauit

propinquauit hora: & filius hominis traditur in manus peccatorum. Surgite eamus: ecce appropinquauit qui me tradit. Et adhuc eo loquente, ecce Iudas scariothis vnus ex duodecim, & cum eo turba multa cum gladiis & fustibus: missi à principibus Sacerdotū & Scribis & Senioribus populi. Sciebat enim & Iudas qui tradebat eum, locum quia frequenter I E S V S conuenerat illuc cum discipulis suis. Iudas ergo cum accepisset cohortem à Pontificibus & Phariseis ministros, venit illuc cum laternis & facibus & armis. dederat autem traditor eis signū, dicens. Quemcūq; osculatus fuero, ipse est: tenete eum, & ducite caute. Et antecedebat eos, & appropinquauit I E S V, vt oscularetur eum. & cū venisset, statim accessit ad eum, & ait. Aue Rabbi, Rabbi. Et osculatus est eum. Dixit ei I E S V S: Amice, ad quid venisti? Iuda osculo filium hominis tradis? I E S V S itaq; sciens omnia quæ ventura erant super eum processit, & dixit eis. Quem queritis? Responderunt ei. I E S V M Nazarenum. Dixit eis I E S V S. Ego sum. Stabat autem & Iudas qui tradidit eum, cum ipsis. vt ergo dixit eis I E S V S ego sum: abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Iterum ergo eos interrogauit. Quem queritis? Illi autem dixerunt. I E S V M Nazarenum. Respondit I E S V S. Dixi vobis, quod ego sum. Si ergo me queritis, sinite hos abire. Vt impleretur sermo quem dixit. Quia quos dedisti mihi, non perdidici ex eis quenquam. Tunc accesserunt, & manus iniecerunt in I E S V M, & tenuerunt eum. Videntes autem hi qui cum ipso erant quod futurum erat, dixerunt ei. Domine, si percutimus in gladio? Simon ergo Petrus, habens gladium, eduxit eum: & percussit pontificis, summi sacerdotis seruum: &

abscidit auriculam eius dexteram : erat autem no-  
men seruo malchus. Respondens autem IESVS,  
ait. Sinite vsq; huc. Et cum tetigisset auriculam eius,  
sanauit eum. Dixit ergo IESVS Petro, mitte gla-  
dium in vaginā: mitte in locum suum: omnes enim  
qui acceperit gladium, gladio peribunt. An putas  
quod non possum rogare Patrem meum, & exhi-  
bebit mihi modo plusquā duodecim legiones an-  
gelorum? calicem quem dedit mihi Pater, non vis  
ut bibam illum? Quomodo ergo implebuntur scri-  
pture? quia sic oportet fieri. Dixit autem IESVS  
ad eos qui venerant ad se, Principes sacerdotum, &  
magistratus tēpli, & seniores. Tanquam ad latro-  
nem existis cum gladiis & fustibus comprehendere  
me, cum quotidie fuerim vobiscum in templo, &  
sedebam docens, & non me tenuistis. Sed hæc est  
hora vestra, & potestas tenebrarum. Hoc autem to-  
tum factum est, ut adimpleretur scripturæ propheta-  
rum. Tunc discipuli relicto eo omnes fugerunt.  
A dolens autē quidam sequebatur eum amictus  
sindone super nudo: & tenuerunt eum: & ille relicta  
sindone, nudus profugit ab eis. Cohors autem &  
tribunus & ministri Iudæorum comprehenderunt  
IESVM: & tenentes ligauerunt eum, & adduxer-  
unt eum ad Annam primum: erat enim socer Cai-  
phæ qui erat Pontifex anni illius. Miserunt  
autē cum ad Caiphā Pontificem: erat autem  
Caiphas, qui consilium  
dederat Iudæis: quod  
expedit vnum hominē  
mori pro populo. Et ita  
duxerunt IESVM ad

Hæc verba, Miserunt autem  
eum ad Caiphā pontificem:  
non habentur in codicibus no-  
stris, sed inuenta sunt in co-  
mentarijs Cirilli, ut potest ex  
ipsis videri: & testatur Nico-  
de Cusa lib. 6. excita. fol. 102.  
hoc idem testatur Erasmus in  
fine suarum annota. in testō no

no, et ita omnes Euangeliste Caiphā principem sa-  
cōfentiū, omnes Petri negatio cerdotum, vbi scribæ &  
nes fuisse in domo Caiphæ. seniores conuenerant.  
Petrus autem sequeba-  
tur eum à longe vsq; intro in atrium Principis sa-  
cerdotum. Sequebatur enim I E S V M Simon Pe-  
trus, & alius discipulus. Discipulus autem ille erat  
notus Pontifici: & introiuit cum I E S V in atrium  
Pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exi-  
uit ergo Discipulus alius qui erat notus Pontifici:  
& dixit ostiariæ: & introduxit Petrum: & ingressus  
intro, sedebat cum ministris ad ignem, vt videret fi-  
nem, & calefaciebat se. Princeps autem sacerdotum  
& omne concilium quærebant falsum testimonium  
contra I E S V M, vt eum morti traderent, & non  
inueniebant, cum multi falsi testes accessissent: mul-  
ti enim falsum testimoniū dicebant aduersus eum:  
& conuenientia testimonia non erant. Nouissime  
autem venerunt duo falsi testes: & surgentes, fal-  
sum testimoniū dicebant aduersus eum, dicentes.  
Hic dixit. Possum destruere templum Dei, & post  
triduum reedificare illud. Nos audiuius eum di-  
centem. ego dissoluam templum hoc manufactum,  
& post triduum aliud non manufactum ædificabo.  
Et non erat conueniens testimonium illorum. Et  
exurgens summus sacerdos in medio eorum, inter-  
rogauit I E S V M dicens. Non respondens quic-  
quam ad ea quæ tibi obiciuntur ab his? Ille autem  
tacebat, & nihil respondit. Rursus summus sacer-  
dos interrogauit eum, & dixit ei. A diuino te per  
Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es CHRI-  
S T V S filius Dei benedicti. Dixit illi I E S V S.  
Tu dixisti: ego sum. Veruntamen dico vobis: amo-  
do videbitis filium hominis sedentem à dextris vir-

tatis Dei, & venientem cum nubibus cœli. Tunc  
Princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens.  
Blasphemauit: quid adhuc egemus testibus: quid  
adhuc desideramus testes? ecce nunc audistis bla-  
sphemiam: quid vobis videtur? Qui omnes con-  
demnauerunt eum, reum esse mortis. Et tunc cœpe-  
runt quidam conspuere eum: & expuerunt in faciē  
eius: & velare eam: & colaphis eum cædebant: alii  
autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes.  
Prophetiza nobis **CHRISTE** quis est qui te  
perculsit? & ministri alapis eum cædebant. Accen-  
so autem igne in medio atrii, & circumsedentibus il-  
lis, erat Petrus in medio eorum foris in atrio deor-  
sum: accessit ad eum vna ancilla ex ancillis summi  
sacerdotis ostiaria (illa quæ Petrum introduxerat)  
& cum vidisset Petrum calefacientem se, aspiciens  
illum sedentem ad lumen, cum eum fuisset intuita,  
dixit. Et hic cum illo erat. Et ad eum dixit. Nun-  
quid & tu ex discipulis es hominis istius? Et tu  
cum **I E S V** Galileo Nazareno eras. At ille nega-  
uit illum coram omnibus, dicens. Mulier, non sum,  
non noui illum: neq; scio, neque noui quid dicas.  
Stabant autem serui & ministri ad prunas, quia fri-  
gus erat, & calefaciebant se: erat autem cum eis &  
Petrus stans & calefaciens se. Pontifex ergo interro-  
gauit **I E S V M** de discipulis, & de doctrina eius.  
Respondit ei **I E S V S**. Ego palam locutus sum  
mundo: ego semper docui in synagoga & in tem-  
plo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto lo-  
cutus sum nihil: quid me interrogas? interroga eos  
qui audierunt, quæ locutus sum ipsis: ecce hi sciunt  
quid dixerim ego: Hæc cum dixisset: vnus alsu-  
stus ministrorum, dedit alapam **I E S V**, dicens  
Sic respondes Pontifici? respondit ei **I E S V S**

Cypr. lib. primo Epistolarum  
Epistola. 3. fol. 6. sentit Domi-  
num sic respondisse ne fateri  
videretur cōtumeliose pōtifici  
respondisse.

tum ad Caiphā pontificem: & Petrus exiit foras  
ante atrium: & gallus cantauit. Egresso autem Petro  
in vestibulum, vidit eum alia ancilla: & cōcepit dice-  
re circumstantibus, & his qui erant ibi. Hic ex illis  
est: & hic erat cum I E S V Nazareno. Erat autem  
Simon Petrus stans & calefaciens se. (redierat scilicet  
ad ignem illum, ne videretur à verbis ancillae  
deturbari) dixerunt ergo ei. Nunquid & tu ex disci-  
pulis eius es? Et alius videns eum, dixit. Et tu  
de illis es. At ille iterum negauit cum iuramento,  
dicens. O homo, non sum: non noui hominem. Et  
post pusillum, interuallo facto quasi horae vnus,  
alius quidam affirmabat dicens. Vere & hic cum  
illo erat: nam & Galileus est. Et accesserunt qui astan-  
bant: & rursus dicebāt Petro. Vere & tu ex illis es:  
nam Galileus es: & loquelā tuā manifestum te facit.  
Et dicit ei vnus ex seruis Pontificis, cognatus eius.  
cuius abscidit Petrus auriculam. Nonne ego te vi-  
di in horto cum illo? Ille autem cōcepit anathematizare,  
detestari, & iurare, quod non nouisset hominē.  
Et ait Petrus. Homo, nescio qd dicas: nescio hominē  
istum quem dicitis. Iterum ergo negauit Petrus:  
& statim, continuo, adhuc eo loquente, iterum  
gallus cantauit, & cōuersus dominus, respexit Petrum:  
& recordatus est Petrus verbi domini: quomodo  
dixerat: priusquam gallus cantet bis, ter me negabis:  
& cōcepit flere, & egressus foras, fleuit amare.  
Et viri qui tenebāt I E S V M, illudebant ei, cōcedentes:  
& velauerunt eum, & percutiebant faciem

Si male locutus sum, te-  
stimonium perhibe de  
malo. Si autem bene,  
quid me cōcedis? Misit  
ergo eum Annas liga-

Sic habet  
in comens-  
tarijs ciril-  
li.

eius: & interrogabant eum dicentes. Prophetiza,  
quis est qui te percussit? Et alia multa blasphemantes dicebāt in eum, & vt factus est dies, conuenerūt seniores plebis & princeps sacerdotum & scribe: & duxerunt illum in concilium suum, dicentes, si tu es CRISTVS, dic nobis. Et ait illis. Si uobis dixerō, nō credetis mihi. Si autem & interrogaue- ro, nō respondebitis mihi: neq; dimittetis. Ex hoc autem erit filius hominis sedens a dextris virtutis Dei. Dixerūt autē omnes. Tu ergo es filius Dei? Qui ait. Vos dicitis quod ego sum. At illi dixerūt quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audiui- mus de ore eius. Et confestim mane consilium fa- cientes summi sacerdotes cum senioribus & scribis & vniuerso concilio, inierunt omnes cōcilium ad- uersus IESVM, vt eum morti traderent, & sur- gens omnis multitudo eorum, vincientes IESVM, vinctum adduxerunt ā Caipha in pretor- ium: & tradiderunt Pontio Pilato p̄fidi. Tunc videns Iudas qui eum tradidit, quod damnatus esset, p̄nitentia ductus retulit triginta argenteos principibus sacerdotum & senioribus populi dicens. Peccaui, tradens sanguinem iustum. At illi dixe- runt. Quid ad nos? tu videris. Et proiectis in tem- plo argenteis, recessit: & abiens laqueo se suspen- dit. Principes autem sacerdotum acceptis argēteis, dixerunt. Non licet eos mittere in corbonam, quia precium sanguinis est. Concilio autem inito, emer- runt ex eis agum figuli in sepulturam pergrinor- um. Propter hoc vocatus est ager ille, achelde- ma, hoc est, ager sanguinis, vsq; in hodiernum diem. Tunc adimpleum est quod dictum est per Hieremā prophetam dicentem. Et acceperunt triginta argenteos, precium appreciati quod appres-

ciauerunt, à filiis Israel, & dederunt eos in agrum <sup>Act. pri</sup>  
figuli, sicut constituit mihi Dominus. Iudas autem <sup>mo cap.</sup>  
suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia vis-  
cera eius: & notum factum est omnibus habitanti-  
bus Hierusalem. I E S V S autem stetit ante præ-  
sidem: erat autem mane: & ipsi non introierunt in  
prætorium, vt non contaminarentur, sed vt mandu-  
carent Pascha. Exiit  
*Pascha non solum pro agno, sed  
et pro bobus et ouibus. capis  
tur. deuter. 16.*

ergo Pilatus ad eos for-  
tis, & dixit. Quam accu-  
sationem assertis aduer-  
sus hominem istum? Responderunt, & dixerunt  
ei. Si non esset hic malefactor, non tibi tradidisse-  
mus eum. Dixit ergo eis Pilatus. Accipite eum vos,  
& secundum legem vestram iudicate eum. Dixe-  
runt ergo ei Iudæi. Nobis non licet interficere quem-  
quam. Vt sermo I E S V impleretur quem dixit, sicut <sup>Luc.</sup>  
gnificans qua morte esset moriturus. Coeperunt au-  
tem illum accusare, dicentes. Nunc inuenimus sub-  
uertentem gentem no-

stram, & prohibentem  
tributa dare Casari, &  
dicentem se C H R I-  
S T V M regem esse.  
Pilatus autem interro-  
gauit eum dicens. Tu  
es rex Iudæorum. At  
ille respondens ait. Tu  
dicis. Ait autem Pilatus  
ad Principes sacerdotū  
& turbas. Nihil inuenio

causæ in hoc homine. Introiuit ergo iterum Pila-  
tus in prætorium, & vocauit I E S V M, & dixit  
ei. Tu es rex Iudæorum? Respondit, I E S V S. <sup>Ioan. 3</sup>

A temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me?  
Respondit Pilatus. Nunquid ego Iudæus sum? gens  
tua & Pontifices tradiderunt te mihi: quid feci-  
sti? Respondit I E S V S. Regnum meum non  
est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset Regnū  
meum, ministri mei utiq; decertarent ut non traderer  
Iudæis: nunc autem Regnum meum non est  
hinc. Dixit itaq; ei Pilatus. Ergo Rex es tu? Re-  
spondit I E S V S. Tu dicis, quod rex sum ego.  
Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mūdum,  
ut testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est  
ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei pilatus.  
Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exi-  
uit ad Iudæos, & dicit eis. Ego nullam inuenio in  
eo causam. At illi inualescebant dicentes. Com-  
mouet populum, docens per vniuersam Iudæam,  
incipiens à Galilea vsq; huc. Pilatus autem audiens  
Galileam, interrogauit si homo Galileus esset? & ut  
cognouit quod de Herodis potestate esset: remisit  
eum ad Herodem, qui & ipse Hierosolymis erat illis  
diebus. Herodes autem viso I E S V, gauisus est  
valde: erat enim cupiens ex multo tempore videre  
eum, eo quod audiret multa de eo: & sperabat si-  
gnum aliquod videre ab eo fieri: interrogabat au-  
tem eum multis sermonibus: at ipse nihil responde-  
bat. Stabant autem Principes sacerdotum & scribæ  
constanter accusantes eum. Spreuit autem illum He-  
rodes cum exercitu suo, & illiuit indutum veste al-  
ba, & remisit ad Pilatum: & facti sunt amici Pilatus  
& Herodes in ipsa die: nam antea inimici erant ad-  
inuiem. Pilatus autem conuocatis Principibus sa-  
cerdotum & magistratibus & plebe. Interrogauit  
eum præses dicens. Tu es rex iudeorum? Dicit Quod hac interrogatio facta  
fuerit

Luc.

Matth.  
Mar.

fuert in conspectu iudaeorum  
apparet ex uerbis Lucæ quæ  
dicit Pilatum dixisse ut infra.

a Principibus sacerdotum & senioribus, nihil res-  
pondit. Pilatus autem rursus interrogauit eum di-  
cens. Non respondes quicquam, uide inquantis te  
accusant? Tunc dicit ei Pilatus. Non audis quanta  
aduersum te dicunt testimonia? Et non respon-  
dit ei ad ullum verbum: ita ut miraretur Pilatus ve-  
hementer. Dixit autem Pilatus ad illos. Obliti-  
stis mihi hunc hominem quasi auertentem populū:  
& ecce ego corā uobis interrogans, nullā causam in-  
uenio in homine isto, ex his in quibus eum accusa-  
tis: sed neq; Herodes: nam remisi uos ad illū: & ec-  
ce nihil dignum morte actum est ei. Emendatum  
ergo illum dimittam. Necesse autem habebat dimit-  
tere eis per diem festum, vnum. Per diem solem-

Hæc uerba quæ hic ascendisse  
dicitur, non erat illa quæ IESVS  
M adduxerat: sed erat  
quæ uenerat petitura, ut pro  
consuetudine sibi unus ex uini-  
stis dimitteretur. ideo ad eā  
Pilatus loquitur. Sed dum ipse  
nuncium uxoris audit, corrū-  
pta et ipsa est a primoribus.

Admonet autem hos consuetus  
dini, non quod illis esset igno-  
ra: sed quod cum consueissent eo  
die uelle sibi dimitti aliquem,

illi IESVS. Tu dicis.

Et accusabāt eum sum-  
mi sacerdotes in mul-  
tis: & cum accusaretur

Luc.

Matth.

Mar.

19. dicitur

10. dicitur

10. dicitur

10. dicitur

non conueniebat ut aliquem pe-  
terent ad mortem duci: ad hęc  
cum et ipse præses eo die doles-  
cet aliquem dimittere propter  
Iudæos nõ dicebat ut propter  
eosdem aliquem eodem die ad  
mortem traderet.

vultis dimittam vobis  
Regem Iudæorum?  
Sciebat enim quod p-  
inidiã tradidissent eum  
summi sacerdotes. Se-  
dente autem illo pro-  
tribunali, misit ad eum  
vxor eius, dicens. Nihil tibi & iusto illi: multa enim  
passa sum hodie per visum propter eum. Principes  
autem sacerdotum Pontifices & seniores persuase-  
runt turbis, vt peterent Barabbam, IESVM ve-  
ro perderet: & concitauerunt turbam vt magis Ba-  
rabbam dimitteret eis. Pilatus autem præses respon-  
dens ait illis. Quem vultis vobis de duobus dimit-  
ti? at illi dixerunt, Barabbam. Exclamauit enim  
vniuersa turba dicens. Tolle hunc & dimitte nobis  
Barabbam. Clamauerunt rursus dicentes. Non  
hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro.

Luc.

Ioan.

Luc.

Mattb. et  
Mar,

Luc.

Qui erat propter seditionem quandam factam in  
ciuitate, & homicidium missus in carcerem. Iterum  
ergo Pilatus locutus est ad illos volens dimittere  
IESVM. Et dicit illis Pilatus. Quid igitur fa-  
ciam IESV qui dicitur CHRISTVS? quid  
vultis faciam regi Iudæorum? At illi iterum cla-  
mauerunt dicentes. Crucifige crucifige eum. Di-  
cuntq; omnes. Crucifigatur. Pilatus vero tertio di-  
cebat illis. Quid enim mali fecit iste? nullam cau-  
sam mortis inuenio in eo: corripiam ergo illum, &  
dimittam. At illi magis clamabant. Crucifige eum:  
crucifigatur. Et instabant vocibus magnis, postulan-  
tes vt crucifigeretur: & inualescebant voces eorum,  
& Principum, & sacerdotum. Videns autem Pilatus  
quod nihil proficeret, sed magis tumultus fieret: ac-  
cepta aqua, lauit manus coram populo, dicens. In-

nocens ego sum a sanguine iusti huius: vos videri-  
tis. Et respōdens vniuersus populus, dixit. San-  
guis eius super nos & super filios nostros. Tunc Pi-  
latus volēs populo satisfacere, adiudicauit fieri pe-  
titionē eorum: & dimi-  
sic iudei dato alijs saluatore, fit illis Barabbam, eum  
sibi latronem seditiosum et ho- qui propter homici-  
micidam seruauerunt, à quo ma- dium & seditionē mis-  
lis his omnibus repleantur, et sus fuerat in carcerem,  
mors CHRISTI salus est quem petebant. I E-  
etiā scelestis, qui eum pro ipsis SVM vero tradidit  
datum, non à populo sed à Do voluntati eorum. nam  
mino Deo intelligūt, et amant. apprehendit IESVM:  
& flagellauit, & tradidit flagellis coesum, vt cruci-  
figeretur. Tunc milites præsidis suscipientes I E-  
SVM in prætorio, duxerunt eum in atrium, quod  
est prætorii: & conuocant totam cohortem: & con-  
gregauerunt ad eum vniuersam cohortem: & exue-  
tes eum: clamidem coccineā circumdederunt eum  
& ira induunt eum purpurea: & plēdentes coro-  
nam de spinis, posuerunt super caput eius, & arun-  
dinem in dextera eius: & veniebant ad eum & ge-  
nuflexo ante eum, illudebant ei: & coeperunt sa-  
lutare eum, dicentes. Ave Rex iudeorum. Et da-  
bant ei alapas: & expuentes in eum, acceperunt  
arundinem, & percutiebant caput eius & conspu-  
ebant eum: & ponentes genua adorabant eum. Exi-  
uit iterum Pilatus, & dicit eis. Ecce adduco eum  
foras vt cognoscatis quod in eo nullam inuenio  
causam. Exiit ergo I E S V S foras, portans co-  
ronam spineam, & purpureum vestimentum, & di-  
xit eis. Ecce homo. Cum ergo vidissent eum Pon-  
tifices & ministri, clamabant dicentes. Crucifige  
crucifige eum. Dicit eis Pilatus. Accipite eum vos

& crucifigite: ego enim non inuenio in eo causam.  
Respondunt ei Iudæi. Nos legem habemus: & se-  
cundum legem nostram debet mori: quia filium  
Dei se fecit. Cum ergo audisset Pilatus hunc ser-  
monem, magis timuit: & ingressus est prætorium  
iterum: & dicit ad I E S V M. Vnde es tu? I E-  
S V S autem responsum non dedit ei. Dicit ergo  
ei Pilatus. Mihi non loqueris? nescis quod pote-  
statem habeo crucifigere te, & potestatem habeo di-  
mittere te? Respondit I E S V S. Non haberes  
potestatem aduersum me ullam, nisi tibi datum es-  
set desup: propterea qui me tradidit tibi, maius pec-  
catum habet. Et exinde quærebat Pilatus dimitte-  
re eum. Iudæi autem clamabant, dicentes. Si hunc  
dimittis, non es amicus Cæsaris. omnis enim qui  
se regē facit, contradicit Cæsari. Pilatus autem cum  
audisset hos sermones, adduxit foras I E S V M,  
& sedit pro tribunali in loco qui dicitur Lithostrat-  
os, hebraicę autem Gabatha. Erat autem parasceue  
Paschæ hora quasi sexta, & dixit Iudæis. Ecce rex  
vester. Illi autem clamabant. Tolle tolle, crucifi-  
ge eum. Dixit eis Pilatus. Regem vestrum cruci-  
figam? Et responderunt Pontifices. Non habes  
mus regem nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eis  
illum vt crucifigeretur. Susceperunt autem I E-  
S V M: & postquam illuserunt ei, exuerunt eum  
clamidem purpuram, & induerunt eum vestimentis  
suis, & eduxerunt eum vt crucifigerent: & baiulans  
crucem suam, exiuit in eum qui dicitur Caluarie lo-  
cum, hebraicę autem Golgotha. Exeuntes autem  
cum ducerent eum, inuenerunt prætereuntem quē-  
dam hominem Cireneum nomine Simonem ve-  
nientem de villa Patrem Alexandri & Rufi: & ap-  
prenderunt, & angariauerunt eum vt. tolleret cru-  
cem

*.s. milites*

cem eius, & imposuerunt illi crucem portare post  
I E S V M.

Sequebatur autem illum turba  
multa populi & mulierum, quæ plangebant & la  
mentabantur eum.

Conuersus autem ad illas

I E S V S, dixit. Filiæ Hierusalem, nolite

flere super me, sed super vos ipsas flete & super fi

lios vestros: quoniam ecce venient dies in quibus

dicent, beatæ steriles, & ventres qui non genuer

runt, & vbera quæ non lactauerunt. tunc incipient

dicere montibus: cadite super nos, & collibus, ope

rite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in ar

ido quid fiet? Ducebantur autem & alii duo nequã

cum eo, vt interficerentur. Et venerunt in locum

qui dicitur Golgotha, quod est Caluarie locus: &

postquam venerunt, ibi, dabant ei bibere myrrha

tum vinum, & non accepit, & dederunt ei acetum

bibere cum felle mixtum: & cum gustasset, noluit

bibere. Ibi crucifixerunt eum, & cum eo duos

latrones, vnum à dextris & alium à sinistris, hinc &

hinc, medium autem I E S V M. Et impleta est

scriptura quæ dicit. Et cum iniquis reputatus est.

I E S V S autem dicebat. Pater dimitte illis non

enim sciunt quid faciunt. Scripsit autem & Pilatus

titulum causæ eius, & posuit super crucem super ca

put eius. Erat autem super scriptio scripta super il

lum litteris grecis, latinis, & hebraicis. H I C E S T

I E S V S N A Z A R E N V S R E X I V D Æ O

R V M. Hunc ergo titulum multi legerunt Iu

dæorum, quia prope ciuitatem erat locus vbi cruc

cifixus est I E S V S. & erat hebraicæ, græcæ, & la

tine scriptum. Dicebant ergo Pilato Pontifices Iu

dæorum. Noli scribere: Rex sum Iudæorum, sed

quod ipse dixit, Rex sum Iudæorum. Respon

dit Pilatus. Quod scripsi, scripsi. Erat autem ho

*alias vie  
num.*

II

ra tertia: & crucifixerūt  
eum. Milites ergo, cum  
crucifixissent eum, ac-  
ceperūt vestimēta eius:  
& fecerunt quatuor par-  
tes, vnicuiq; militi par-  
tem: & tunicam, erat  
autem tunica inconsu-

tilis desuper contexta per totum. dixerunt ergo  
ad inuicem. Non scindamus eam, sed fortiamur de  
ea, cuius sit. Vt scriptura impleveretur dicens. Partiti  
sunt vestimenta mea sibi: & in vestem meam mise-  
runt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt. Præ-  
tereuntes autem blasphemabant eum, mouentes ca-  
pita sua & dicentes. Væ qui destruis templum Dei,  
& in triduo illud reædificas, salua te ipsum, si filius  
Dei es: descende de cruce. Similiter & Principes  
sacerdotum illudentes ad alterutrum cum scribis &  
senioribus dicebant. Alios saluos fecit, seipsum  
non potest saluum facere. Si Rex Israel est, descen-  
dat nunc de cruce, & credimus ei. Confidit in Deo,  
liberet eum, si vult. Dixit enim quod filius Dei  
sum. Idipsum autem & latrones qui crucifixi erant  
cum eo, improperebant ei, & conuitiabantur. Sta-  
bat populus spectans, & deridebant illum Princi-  
pes cum eis, dicentes. Alios saluos fecit, seipsum  
saluum faciat si hic est **CHRISTVS** Dei ele-  
ctus. Illudebant autem ei & milites accedentes, &  
acerum offerentes illi & dicentes. Si tu es Rex Iu-  
dæorum, saluum te fac. Vnus autem ex his, qui pen-  
debant latronibus, blasphemabat eum, dicens. Si tu  
es **CHRISTVS**, saluum fac te ipsum & nos.  
Respondens autem alter, increpabat eum dicens.  
Neque tu times Deum, qui in eadem damnatio-

*Hora tertia scilicet quia nondū  
uenerat hora sexta: quāvis cum  
peteretur ad crucifigendum,  
appeteret hora sexta, ut est su-  
pra uisum: & cum crucifixus  
ad latronem loqueretur, nondū  
erat hora sexta, sed fere sexta,  
ut infra uidebimus.*

ne es, & nos quidem iuste, nam digna factis re-  
cipimus hic vero nihil maligne fecit. Et dicebat ad  
IESVM Domine, memento mei dum veneris in  
Regnum tuum. Et dixit illi IESVS. Amen di-  
co tibi: hodie mecum eris in paradiso. Erat autem  
ferè hora sexta. Stabat autem iuxta crucem IESV  
Maria mater eius, & soror matris eius Maria Cleo-  
phæ, & Maria Magdalene. cum vidisset ergo IESVS  
matrem & discipulum stantem, quem dilige-  
bat dixit matri suæ. Mulier ecce filius tuus. Dein  
de dixit discipulo ecce Mater tua. Et ex illa ho-  
ra accepit eam discipulus in sua. A sexta autem ho-  
ra tenebræ factæ sunt super vniuersam terram  
vsq; ad horam nonam, & obscuratus est sol & cir-  
ca horam nonam exclamauit IESVS voce ma-  
gna dicens. Eli Eli lamah hazabatani. Quod est  
interpretatum. Deus meus Deus meus, vt quid de-  
reliquisti me? Quidam autem illic stantes, & audien-  
tes, dicebant. Eliam vocat iste. Et continuo cur-  
rens vnus ex eis, acceptam spongiam impleuit ace-  
to & imposuit arundini, & dabat ei bibere, coete-  
ri vero dicebant. Sine, videamus an veniat Elias  
liberans eum. Postea sciens IESVS quia iam  
omnia consummata sunt vt consummaretur scrip-  
tura, dixit. Sitio. Vas ergo positum erat aceto  
plenum illi autem spongiam aceto plenam hyssopo  
circumponentes obtulerunt ori eius. Cum ergo  
accepisset IESVS acetum, dixit. Consumma-  
tum est. Et clamans voce magna IESVS, ait.  
Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.  
Et hæc dicens, inclinato capite tradidit & misit spi-  
ritum, & expirauit. Et ecce velum templi scissum est  
in duas partes à summo vsq; deorsum & terra mo-  
ta est & petrae scissæ, & monumenta aperta sunt: &

2

3

4

5

6

7

multa corpora sanctorum qui dormierant, resurrexerunt & exeuntes de monumentis post resurrectionem eius venerunt in ciuitatem sanctam, & apparuerunt multis. Centurio autem, & qui cum eo erant custodientes I E S V M, viso terramotu, & his quae fiebant, & quia sic clamans expirasset timuerunt valde, dicentes: Vere filius Dei erat iste. Et glorificauit Deum Centurio, dicens: Vere hic homo iustus erat. Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quae fiebant, percutientes pectora sua, reuertebantur. Stabant autem omnes noti eius a longe, erant autem & ibi mulieres de longe aspicientes, inter quas erat Maria Magdalenae, & Maria Iacobi minoris, & Ioseph mater, & Salome, & mater filiorum Zebedei: & cum essent in Galilea, sequebantur eum, & ministrabant ei & aliae multae quae simul ascenderant cum eo Hierosolymam. Iudaei ergo, quoniam parasceue erat, vt non remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem frangerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo: ad I E S V M autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non frangerunt eius crura sed vnus militum lancea latus eius aperuit & continuo exiit sanguis & aqua, & qui vidit, testimonium peribuit & verum est testimoniũ eius, & ille scit quod vera dicit, vt & vos credatis. Facta sunt enim haec, vt scriptura impleretur. Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia scriptura dicit: Videbunt in quem trasfixerunt. Post haec autem cum iam vespera facta esset, quia erat parasceue, quod est ante sabbatum, venit quidam homo diues ab Arimathea, nomine

alias Ioseph  
sepo.

mine Ioseph, nobilis decurio, vir bonus & iustus.  
Hic non consenserat consilio & actibus eorum: qui  
expectabat & ipse Regnum dei, & discipulus erat  
I E S V, occultus autem propter metum Iudeo-  
rum, & audacter introiit ad Pilatum, & petiit cor-  
pus I E S V. Pilatus autem mirabatur si iam obif-  
set: & accersito centurione interrogauit eum, si iam  
mortuus esset & cum cognouisset à centurione, do-  
nauit & iussit reddi corpus I E S V. Ioseph autem  
mercatus sindonem, & deponens eum inuoluit sin-  
done munda. venit autem & Nicodemus, qui ve-  
nerat ad I E S V M nocte primum, ferens mixtu-  
ram myrrhe & aloes libras quasi centum. accepe-  
runt ergo corpus I E S V, & ligauerunt linteis il-  
lud cum aromatibus, sicut mos est Iudeis sepelire,  
erat autem in loco ubi crucifixus est, hortus, & in  
horto monumētum nouum: & posuit eum Ioseph  
in monumento suo nouo, quod excidit in petra:  
quo nondum quisquam positus fuerat, ibi ergo pro-  
pter parasceue Iudeorum, quia iuxta erat monu-  
mentum, posuerunt I E S V M: & aduoluit Io-  
seph saxum magnum ad ostium monumenti, &  
abiit. Maria autem Magdalene, & Maria Ioseph,  
aspiciebant ubi poneretur, sedentes contra sepul-  
chrum, & dies erat Parasceues, & sabbatum illuce-  
scebat. Subsecutæ autem mulieres, quæ cum ipso  
venerunt de Galilea viderunt monumentum, &  
quemadmodum positum erat corpus eius: & reuer-  
tentes parauerunt aromata & vnguenta & sabbato  
quidem siluerunt secundum mandatum. altera au-  
tem die quæ est post parasceue, conuenerunt Prin-  
cipes sacerdotum & pharisæi ad Pilatum dicentes.  
Domine recordati sumus quod seductor ille dixit  
adhuc viuens. Post tres dies resurgam. Iube ere-

*alias Iose*

go custodiri sepulchrum vsque in diem tertium: ne  
forte veniant discipuli eius, & furentur eum, & di-  
cant plebi: surrexit à mortuis: & erit nouissimus  
error peior priore. Ait illis Pilatus. Habetis cu-  
stodiam: ite custodite sicut scitis. Illi autem abeu-  
res munierunt sepulchrum signantes lapidem cum  
custodibus.

Registrum. a b c.

Omnes duerniones præter c ternionem.

Venetis in ædibus Stephani Sabienfis, sum-  
ptu & requisitione Melchioris Sellsæ.

M D X X X V l.

menſe Octobri.









BIBLIOTEKA KÓRNICKA

13928

CKA